



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Laymann, Paul

Dilingæ, 1666

§. Personæ verò.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

§. Propter malitiam.

8 *H*ec est quarta causa, videl. plebis malitia Episcopo obedientiam negantis, aut insidias parantis. Non tamen ob quamlibet culpam, aut inobedientiam plebis, pastor eam deserere debet; sed si ita pertinaciter pastori se opponat, ab eoque abhorreat, ut ad maius malum vitandum, ne forte in lupos conuertantur, id est, à vera Religione, vel Ecclesie unitate omnino deficient, tali casu ipsis quandoque ad tempus cedendum, & cum Superioris licentia pastor amouendus est. Idque etiam de Parochis, aliisque animarum pastoribus dici debet, quòd interdum amouendi, seu transferendi sint, si plebs, aut subditi adeò ipsis, quamuis culpabiliter contradicant, aut ab eis abhorreant, ut spes reconciliationis non sit. Vide *Amaniam* super hoc §.

§. Pro graui.

9 *Q*uinta causa est, graue scandalum populi, quod ex Episcopi, aut alterius Prælati præsentia patiuntur. Quamuis distinguendum sit inter scandalum Pharisaicum, seu ex malitia profectum, & scandalum pusillorum, seu ex ignorantia aut infirmitate ortum. Nam ob hoc scandalum sedandum frequentius cedendum est iure, quod aliquis habet. Sed Pharisaicum minus plerumque curandum est: nisi cum pertinaciter malis etiã simplices, aut innocentes inuoluantur, seu ad ruinam trahantur. Exemplum huius habemus in S. Gregor. Nazianzeno, de quo legimus die 9. Maij, quòd scandali ac seditiosis sedandæ causa, quæ ob eius bene facta fuerat exorta, sponte cesserit ecclesiam Constantinopolitanam.

§. Personæ verò.

10 *V*ltima causa affertur irregularitas personæ. Distinguendum tamen est, verum sit irregularitas dispensabilis, an verò talis, in qua Papa dispensare non solet: Si indispensabilis, v. g. si bigamus, aut qui viduam uxorem habuerat, Episcopus factus

sit, is renuntiare debet. Sin autem dispensabilis, v. g. natalium defectus, tum, si res occulta sit, non expedit licentiam renuntiandi concedere, sed potius dispensationis gratiam largiri: Quamuis id etiam obseruandum, quòd cum spurij, seu ex damnato coitu ortis difficilior fiat dispensatio. Atque simili quoque modo Papa dispensabit cum eo, qui in irregularitate ob homicidium occultum Episcopus creatus sit; non item si defectus publicus, seu notorius sit. Vide quæ dixi lib. 1. Th. mor. p. 5. c. 9. & in c. innouit, 13. de elect.

§. Verùm.

*P*ergit in hoc §. & sequentibus dicere Innocent. si Episcopus nullam ex dictis cedendi causam allegare possit, Episcopale officium ipsi retinendum esse: cum sui iuris, ac libertatis non sit, sed ecclesie suæ in perpetuum obligatus. Neque verò est, quòd refugiens labores, ac curas ad vitam contemplatiuam tanquam optatiorem, melioremque aspiret; cum maioris perfectionis sit, eum vita contemplatiua actiuam coniungere, exemplo Moysis, qui modò in montem ascendens gloriam Domini speculatus est; modò in castra descendens populi necessitati prouidit. Quamobrem facilius permittitur, ut Monachus seu contemplatiuus ad præsulatum, videl. Episcopatum ascendat; quàm ut præsul, seu Episcopus ad monachatum descendat.

NOTANDVM Vn. Vita contemplatiua, si cum actiua iungatur, reliquis præstantior est, ut etiam cognoscitur ex vita Christi, & Apostolorum. Vide quæ dixi lib. 4. Th. mor. tr. 5. c. 3.

CAPITVLVM XI.

Post translationem.

PARAPHRASIS.

Postquam Episcopus Fauentinus ad Archiepiscopatum Rauennatensem translatus
Non 3 suis,